

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. cart

Sábado 02.12.2017

## **Carta del Santo Padre al Enviado Especial en la inauguración de la cúpula dedicada a la Santísima Trinidad, en la basílica de la Inmaculada Concepción en Washington (8 de diciembre de 2017).**

El 7 de octubre, el Santo Padre Francisco nombró a S.E. el cardenal Kevin Joseph Farrell, Prefecto del Dicasterio para los laicos, la familia y la vida, como su enviado especial a la inauguración de la cúpula dedicada a la Santísima Trinidad en la basílica de Inmaculada Concepción en Washington, santuario nacional de los Estados Unidos de América, programada para el 8 de diciembre de 2017.

El enviado especial estará acompañado por una misión pontificia compuesta por los siguientes eclesiásticos:

- Rev. Mons. Vito Buonanno, director de las Peregrinaciones de la basílica del Santuario Nacional de la Inmaculada Concepción en Washington D.C. ;
- Reverendísimo Monseñor Charles Antonicelli, vicario episcopal para Asuntos Canónicos-Jurídicos de la arquidiócesis de Washington.

Publicamos la Carta del Santo Padre Francisco a Su Eminencia el cardenal Kevin Joseph Farrell.

### **Carta del Santo Padre**

*Venerabili Fratri Nostro  
COËMGENO IOSEPHO S.R.E. Cardinali FARRELL  
Dicasterii pro Laicis, Familia et Vita Praefecto*

Cum animi Nostri gaudio nuper accepimus proximo die VIII mensis Decembris Vashingtoniae aedificationem praeclarae Basilicae Immaculatae Conceptionis BMV sollemni modo ad finem adductum iri. Illo enim die cum magno opere musivo inaugurabitur tholus Sanctissimae Trinitati dicatus, cuius partem Nosmet Ipsi in visitatione

Nostra die XXIII mensis Septembris anno MMXV benediximus. Hoc modo sacri Praesules, presbyteri et christifideles laici Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis gratias omnipotenti Deo agere volunt ob aedificationem Sanctuarii Nationalis, quam catholici Episcopi harum Civitatum anno MCMXX incepterunt, nec non ob tanta beneficia quae superiores per annos toti inibi christianae communitati Ipse largiri est dignatus.

Cum quidem de eventu magni momenti agatur, Venerabilis Frater Noster Donaldus Vilelmus S.R.E. Cardinalis Wuerl, Archiepiscopus Metropolita Vashingtonensis, humanissime Nos rogavit ut aliquem eminentem Virum mitteremus, qui Nostras vices in memorata celebratione gereret Nostramque erga gregem ipsi concreditum et omnes qui in Sanctuarium peregrinantur dilectionem manifestaret. Ad Te autem, Venerabilis Frater Noster, qui aliquando ad clerum Vashingtonensem pertinuisti, episcopalem ordinationem in hoc Sanctuario accepisti atque munus Auxiliaris Vashingtonensis diligenter exercuisti, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad dictam celebrationem, quae in proxima Sollemnitate Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis, caelestis videlicet Patronae Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis, perficietur.

Sollemni ergo praesidebis Eucharistiae atque Pastorem gregis Vashingtonensis aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes sermone tuo ad gratias pro omnibus beneficiis a Deo misericorditer acceptis agendas adhortaberis nec non ad diligentem eius praeceptorum observationem, potissimum quod pertinet ad vitae humanae dignitatisque personae propagationem et defensionem. Optamus denique ut cuncti, Redemptoris Matrem inspicientes, “quae toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum praeferat” (*Lumen gentium*, 65), novis viribus novoque caritatis studio peculiarem dilectionem erga Christi Ecclesiam et Evangelium nostra etiam aetate demonstrent atque spirituali assiduitate emineant.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes; a cunctis vicissim preces expostulamus, ut pergrave Petrinum munus diligenter adimpleamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIV mensis Novembris, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS

---